



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SAMARINDAËNSIS*** IN INDONESIA
CONSTITUITUR NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA

SAMARINDAËNSIS, CUIUS METROPOLITANA ECCLESIA ERIT SEDES EIUSDEM Cum Ecclesia catholica in Indonesia, in territorio Provinciae ecclesiasticae Pontianakensis, haud parva incrementa passim suscepisset, ut ipsis Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris atque mulieribus et Christifidelibus ibidem operose ad laborantibus merita tribueretur testimonium laudis eorumque animi incitentur ad novos maioresque in dies exantlandos labores necnon ut ipsa Ecclesia firmius constabiliretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa acceptisque pariter eorum, quorum interest, faventibus votis, censuit nuper novam Provinciam ecclesiasticam iisdem in locis esse condendam. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A metropolitana sede Pontianakensi seiungimus dioeceses Tanjungselorensis, Bangiarmasinam, Palangkaraiensem et Samarindaënsis, ex iisque constituimus novam Provinciam ecclesiasticam *Samarindaënsis* atque dioecesim eiusdem nominis ad gradum archidioecesis metropolitanae evehimus cuique assignamus uti suffraganeas memoratas dioeceses Tanjungselorensis, Bangiarmasinam, Palangkaraiensem, Samarindaënsis Praesulem Florentinum Sului Hajang Hau, nominamus Archiepiscopum Metropolitanam Samarindaënsis. Omnia committimus perficienda Venerabili Fratri Laurentio Fratini, Archiepiscopo titulo Botrianensi et Apostolico Nuntio in Indonesia, onere imposito sincerum exemplar actus effectae executionis mittendi memoratae Congregationi. Hanc denique Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quarto mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 6, p. 384 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana